

vendendorum usum ubique locorum, et gentium sub eisdem pœnis perpetuo interdicimus, et prohibemus. Ipsi autem Inquisitores, seu Ordinarii locorum, antequam hujusmodi licentiam concedant, Breviaria ab ipsis Typographis imprimenda, et postquam impressa fuerint, cum hoc Breviariorum auctoritate nostra recognitio, et nunc impresso, diligentissime conferant, nec in illis aliquid addi, vel detrahi permittant, et in ipsa licentia originali de collatione facta, et quod omnino concordant, manu propria attestentur, cuius licentiae copia initio, vel in calce cujusque Breviaril semper imprimitur i quo si secus fecerint, Inquisitores videlicet privationis suorum officiorum, ac inhabilitatis ad illa, et alia in posterum obtinenda, Antistites vero et Ordinarii locorum suspensionis a divinis, ac interdicti ab ingressu Ecclesiae, eorum vero Vicariorum privationis similiiter officiorum, et beneficiorum suorum, et inhabilitatis ad illa, et alia in posterum obtinenda, ac præterea excommunicationis absque alia declaratione, ut præfertur, pœnas incurrant eo ipso. Ceterum pauperum Clericorum, et aliarum personarum Ecclesiasticarum, ac Typographorum, et Bibliopolarum quorumcunque indemnitas ex benignitate Apostolica rationem habentes, eisdem Breviaria hactenus impressa penes se habentibus, ut ea retinere, et illis uti, eaque vendere respective possint, similiiter permittimus, et indulgemus. Non obstantibus licentis, indultis, et privilegiis quibuscumque Typographis hactenus per Nos, seu Romanos Pontifices prædecessores nostros Breviarium prædictum Pil V. imprimenti concessis, quæ per præsentes expresse revocamus, et revocata esse volumus, necnon constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis generalibus, et specialibus, in contrarium præmissorum quonodo-cumque concessis, confirmatis et approbatis, quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et expressa mentio habenda esset, tenores hujusmodi presentibus pro expressis habentes, hac vice duntaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volun-tinus autem, ut presentium nostrarum litterarum exemplaribus etiam in ipsis Breviaris impressis, vel manu aliquius Notarii publici subscriptis, et sigilio alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si essent exhibita, vel os-tense.

Datum Romæ apud sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die x Maii MDCHI.
Pontificatus nostri Anno undecimo.

M. VESTRIUS BARBIANUS.